Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

OLORE CARDIALGICO

Vulgo

Magen-Krampff.

QVAM

PRÆSIDE

N. FRIDERICO HOFFMANNO

ORDINIS MEDICI SENIORE & h. t.

DECANO

PRO DOCTORIS GRADV

Ad. d. April. Anno MDCCXXXI.

PVBLICE AD DISCEPTANDVM

PROPONIT

Friederich Chriſtian Habicht,

WRATISLAVIA SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

AVGVSTÆ REIPVBLICÆ
VRATISLAVIENSIS
PERILLVSTRI
MAGNIFICIS GENEROSISSIMIS,
MAXIMEQVE STRENVIS
PRÆNOBILISSIMIS AMPLISSIMIS
JVRIS - CONSVLTISSIMIS
DOMINO
PRÆSIDI
CÆTERISQVE DOMINIS
SENATORIBVS
SYNDICIS
ATQVE
SECRETARIIS
MÆCENATIBVS PATRONIS
AC FAVTORIBVS
SVBMISSE COLENDIS DEVENERANDIS
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

dicat conſecratque
Friedrich Chriſtian Habicht.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA DE DOLORE CARDIALGICO SIVE VENTRICVLI SPASMO.

§. I.

INter graves & acerbos, qui miſere genus humanum torquent, & corpus æque ac animum moleſte afficiunt dolores, is qui cardialgiæ nomine venit, non poſtremum ſibi vindicat locum. Neque vero cordis, ut vulgi fert opinio, & germanice Hertzens-Angſt dicitur, dolor eſt, ſed ipſius ſtomachi, ceu partis valde nervoſæ & exquiſitæ ſenſationis, & præcipue ejus orificiorum val-

de acutus cum ingenti præcordiorum anxietate, ſpirandi anguſtia, viriumque proſtratione, inquietudine, inferiorum partium frigore conjunctus, a ſpaſmo partim & inflatione ortus, totum fere corpus in conſenſum trahens.

§. II.

Neque vero omnis ſtomachi dolor, qualis ſubinde, a crudorum ingeſtorum copia & longiori ibi in ventriculo mora, preſſorius & anxius incidit, cardialgia nominanda, quia non eſt acutus, neque orificia ventriculi tunc valde dolent, inquietudine ac virium proſtratione, nec non extremorum frigore, quæ propria fere & eſſentialia hujus morbi ſunt ſigna, deſtituitur: niſi cardialgiam hanc ſpuriam vocare velimus. Neque etiam cum ſoda ſive ventriculi ardore moleſto, qui jam dictis eſſentialibus notis caret, confundi debet.

§. III.

Acerbioris hujus doloris ſedes, ex communi Medicorum tam veterum quam recentiorum ſententia, ſiniſtrum tantum ſtomachi habetur orificium, quod iam olim HIPPOCRATES & GALENVS cardiam vocarunt; unde etiam hic dolor cardialgiæ nomen mutuatur. Nos vero potius dextrum, quod pylorus nominatur, orificium, imo totum, ratione tunicæ qua inſtructus eſt valde ſenſilis nervoſo-fibroſæ, ſtomachum adfici, vel ex eo eluceſcere arbitramur, quia circa cordis ſcrobiculum, ad latus dextrum,

trum, ubi conſtans pylori ſedes eſt, hic atrox incipit & conſiſtit ſemper dolor, & inde ad ſiniſtrum, quod in dorſo non procul a ſpinali medulla ſitum eſt, demum porrigitur.

§. IV.

Cum autem nunquam triſtis & anxia in anima excitetur ſenſatio, niſi a cauſa violenta partes nervoſæ & fibroſæ, vehementi diſtenſione, vel valida conſtrictione, ſive ſpaſtica ſtrictura ſupra modum afficiantur: ita etiam obſervamus, cardialgiam aliam eſſe flatulentam, aliam ſpaſmodicam, adeo ut in illa, ab incarceratis flatibus, totus ſtomachus violenter diſtendatur atque diſtrahatur; in hac vero in arctius potius ſpatium criſpetur, coarctetur atque contrahatur.

§. V.

Non parum quoque refert diſcrimina & ſigna noſſe, quibus cardialgia flatulenta a ſpaſmodica diſtinguitur: in illa major ſpirandi juncta eſt difficultas atque anguſtia, eo, quod ventriculus inflatus, liberum diaphragmatis deſcenſum, qualis ad faciliorem ſpiritum trahendum ſumme neceſſarius eſt, intercipit; dein tumor frequentius ad ſenſum ſat manifeſtus, inſtar ovi in ſcrobiculo cordis ad dextrum latus inclinans, in flatulenta obſervatur, dum pylorus inflato ventriculo ſemper attollitur: præter hæc ructuum adeſt frequentia, quibus ex ore prodeuntibus, dolor nonnihil levari incipit; denique poſt cibum,

præ-

præſertim qui inflat, aſſumtum, dolor ordinario ingraveſcere ſolet. Vbi vero pertinaciori ſpaſmo tota ventriculi ſubſtantia affligitur; tunc major circa præcordia anxietas, major virium defectio, corporisque jactatio atque extremorum frigus percipitur.

§. VI.

Si vehementior & ad veneni naturam accedens cauſa eſt, longe vehementiora & quæ plurimum habent periculi juncta ſunt ſymptomata. Ita ſubinde in capite dolor, vertigo, ſcotomia, agrypnia, mentis interdum emotio & convulſio: in cavitate thoracis pectoris oppreſſio, cordis tremor & ſyncope, pulſus exiguus, debilis, interdum durus & inæqualis, intermittens quoque: in abdomine, ventris tormina, alvi conſtipatio, urinæ ſuppreſſio: in partibus externis, refrigeratio, tremor, horror, alvi conſtipatio; facies livida, contracta, fœdi & flaveſcentis coloris in conſpectum prodeunt.

§. VII.

Non autem, tam atrocia in univerſo corpore, ventriculo male affecto, ſuboriri poſſe pathemata, i facile mirabitur qui ex anatomicis didicit, par nervorum octavum, quod fere ad omnes nervoſas corporis partes internas fertur, & iis vigorem, robur motum & ſenſum largitur, valde notabiles & inſignes duos ramos ad ventriculi ſiniſtrum orificium ſpargere: atque internos per arcum minorem ad pylorum; externos vero ad fundum ventriculi ferr

& hi

hinc conſenſionis, quam hæc nobilis pars cum to-
ſyſtemate nervoſarum partium alit, ratio ducitur
iam aptiſſime. Neque enim ulla alia, in univerſo
rpore pars eſt, quæ ſimilem cum præſtantioribus e-
sdem partibus alat habeatque conſenſionem mutu-
ique communicationem, præter ſtomachum: uti
fuſius in *Medicina ration. Syſtem.* a D. D. PRÆSIDE
: expoſitum. Inter alia hujus rei luculenta teſti-
onia, obſervationes hinc inde in Medicorum, qui
ſus ad Medicinam Forenſem ſpectantes ſcriptis edide-
nt, repertæ id exhibent: quibus conſtat, a forti per-
iſſione cum manu vel inſtrumento duro circa cor-
s ſcrobiculum facta, graviſſima protinus ſympto-
ita, ut quis ſtatim in terram gelidus concidat, epi-
ſia, imo morte repentina corripiatur, inſequi.

§. VIII.

Igitur duplex eſt cardialgiæ non ſecus ac coli-
ſpecies; altera nimirum flatulenta, quæ ab incar-
atis fit flatibus, totam ventriculi cavitatem forti-
diſtendentibus, & talis vocari ſolet germanice
er-Colic, Hertz-Colic: altera eſt cardialgia ſpaſ-
dica convulſiva, vulgo hefftiger Magen-Krampff.
uitur nunc ut inquiramus, qua ratione flatus,
i liberum alias habeant per aperta orificia tranſi-
i, firmiter in cavitate ventriculi includi & detineri
int. Hujus quidem phœnomeni ratio vix a Me-
s eſt tacta. Nos eiusmodi vehementem inflatio-
,quæ incidit in ventriculum, etiam effectum ſpaſ-
iſſe, affirmare nihil dubitamus; qui tamen non

totam ventriculi nervoſo - membranaceam ſubſta
tiam, ſed tantum ejus orificia ſubtilioris ſenſatio
infeſtat: unde iis valde coarctatis & clauſis, non n
rum eſt, vapores ex indigeſta maxime crudorum i
geſtorum mole, mediante calore, cum non invenia
exitum, totum ventriculum mire diſtendendo ac (
ſtrahendo, atrocem cum ſumma anxietate & ſ
randi anguſtia dolorem excitare.

§. IX.

Sunt vero inprimis flatulentæ cardialgiæ (
noxii hypochondriaci, quorum ſtomachus copi
acida & viſcida pituita ſcatet; ex quo fit, ut a pa
aliquot horis, intenſas circa præcordia tenſion
inflationes, graveſque dolores cum difficili ſpirati
experiantur, qui poſtea, ructibus utplurimum ac
prodeuntibus, nonnihil remittunt, vel vomitu ſu
veniente acido pituitoſo inſigniter levantur, &
mum paulatim redeunte calore, ad ventriculun
extremas partes, quæ algeſcebant, ſolvuntur. V
dimus tale quoque vitium ſæpius in iis, qui
morbum paulo diuturniorem, magnam ſibi ve
culi infirmitatem contraxerunt, quando paulo
dius cibos, præſertim incongruos, ut ſunt pingue
cidi & fermenteſcibiles, fructus quoque horæi
gerunt, accedente ſimul corporis & quam
xime pedum vel regionis lumbaris refrigerati
ſubortum & crebrius per intervalla reverſum.

§. X.

Vidimus quoque ejuſmodi ventriculi, cum
lore & reſpiratione difficili, inflationem, in

ntibus lactentibus, a lacte in ventriculo coagulato ibi ſtagnante acidoque facto, ubi tota præcordiis regio, ſub coſtis ſpuriis, mire flatibus diſtenta & rgida, viſui pariter ac tactui ſe offerebat. Vulgo id itium dicitur das Hertz-Geſpann. In mentem nos etiam incidit exemplum, cujusdam juvenis, qui, a imia recentis & mollioris caſei commeſtione, & deper Rhenano non adeo ſpirituoſo ſed acidulo vino uſto, in flatulentam & gravem cardialgiam incibat: quam Medicus pro colico dolore, qui tamen nge inferiorem ſedem habet, neque cum tanta ſpindi anguſtia jungitur, habebat. Neque hoc loco ſcrimen illud inter dolorem colicum, qui ſub vencule in ea parte coli, quæ immediate ipſi ſubſterur, & inter ſtomachalem colicam, ſi ita loqui licet, æterire debemus; quia non ſemel ſed aliquoties, hac re deceptos fuiſſe Medicos, animadvertimus. Vt itae circumſtantias loci dolentis, antecedentes cauſas, tas quoque quæ cardialgiæ propriæ ſunt, item ſtos remediorum ſucceſſus, probe ſemper circumectus Medicus obſervet, non ſine ratione monenm ducimus: nam unico diſcutiente applicato clyre, colicum ſub ventriculo conſiſtentem dolorem latum meminimus.

§. XI.

Vtut vero plerumque flatulenti & tenſivi venculi doloris cauſa, vitioſus humor, qui intra ejus vitatem paulo diutius retentus, flatus copioſos dos, & qui ventriculi orificia conſtringunt, excitat:

ſcimus tamen occurrere exempla mali flatulenti, ubi nullam materiam vitioſam in ventriculi vel duoden cavitate animadvertimus. Quod vel ex eo diiudicar potuimus, quia tales anxiæ & flatulentæ cardialgiæ, fœminis præſertim junioribus, reſtitante menſium fluxu imo per primos menſes gravidis, familiariſſimæ obſervantur, & ructibus doloreque circa cordis ſcrobiculum & dorſum ſe manifeſtant, atque exacte circa menſium tempus revertuntur. Simile quid aliquando viris, hæmorrhoidibus ſuppreſſis qui laborarunt, evenifſe notavimus.

§. XII.

Quamvis vero non adeo facile ſit, hujus rei venire cauſam, nos tamen quandocunque conſide-mus, a ſanguine intra inteſtini coli vel recti memb-narum vaſa ſtagnante, ſpaſmodicum dolorem in s partibus effici; nullam aliam pariter hic ſubeſſe ca-ſam iudicamus, quam, quod facta palyndrome, ſang s ad regionem ventriculi & præcordialem delatus, -que vaſa ventriculi infarciens, ejus potiſſimum o-cia ſpaſticis ſtricturis pariter afficere & infeſtare p-ſit. Et confirmamur in hac ſententia, cum inter -quentes obſervationes in comperto ſit, in iis qui a -mate ſtomachali flatulento-ſpaſmodico, ſæpius leth i, & utplurimum hydropem poſt ſe trahente, laborar t, poſt mortem infarcta & obſtructa viſcera ſan i-nea, præſertim hepar, vel etiam polypoſas c n-crretiones in cordis ventriculo repertas fuiſſequi s, dum obex ponitur ſanguinis libero circulo, facile us

ir e-

impetus ad præcordia fertur, & ſic cauſam tam anxii doloris, quem perpetuo ructus concomitari ſolent, ſubminiſtrat.

§. XIII.

Cum vero & ſine ſingulari vel plane nulla inflatione, ille acerbiſſimus & anxius ventriculi dolor, vulgo **Magen-Krampff**, non tantum orificiorum ſed etiam totius ſubſtantiæ, ob tunicam nervoſam, ſpaſmorum vehementia affligat, ejus etiam cauſas paulo exactius inveſtigare oportet. Jam vero nil propemodum in praxi frequentius occurrit, quam quod mox a vehementi iracundia, circa præcordia & cordis ſcrobiculum, & magis verſus dextram partem, compreſſorius & conſtrictivus dolor cum anxietate & anguſtia pectoris, nauſea, ciborum faſtidio, oris amaritie oboriri ſoleat. Hujus ergo mali cauſam non difficulter is reperiet, qui conſiderat talem eſſe iræ vehementioris vim atque indolem, ut maxime ſuum pernitialem effectum in præcordiis exerat, per quæ, ut bene explicat FERNELIVS *lib. IV. de febr.* c. 10. regio circa ventriculum, diaphragma, jecoris cavum & in eo ductus biliarii detenti, pancreas, in ſpecie ventriculus, ejusque ſuperius orificium, & quæ ſub coſtis nothis, anteriora verſus & ſternum inflectuntur, intelligitur, ſpaſticis conſtrictionibus ea exercendo. Dein quoque ab ira valde commoveri linioſum ſuccum, & ſyſtole canalium, qui bilem vehunt ad duodenum, intenſiori reddita, eam copioſius ibi effundi conſtat; ubi poſtea diuturniori mora, dum corroſiva fit & corrumpitur, uti diarrhϾ, choleræ, vomitionis, ita etiam doloris

cardialgici cauſam omnino ſubminiſtrat, quia acrimonia ſua, & pylorum & fundum ventriculi afficit.

§. XIV.

Non rarum nec inſolens quoque eſt, poſt tertianam, anxium circa præcordia dolorem, cum inſigni virium languore, ciborum faſtidio, oris ſiccitate, & animi leviuſcula defectione, lentoque calore interdum obſervari; quæ cuncta mala a bile vitioſa, copioſius in duodeno, ſi virtus ejus motrix periſtaltica ſub morbo valde fracta fuit, coacervata diutiusque ſtagnante produci, exinde demum intelleximus, dum leni emetico, verbi gratia, uno vel altero grano tartari emetici, cum ſufficiente quantitate aquæ dato, effuſa magna ſaburra, conquieviſſe protinus hæc omnia mala vidimus. Referri huc optima ratione, HIPPOCRATIS Aph. XVII. Sect. IV. meretur, qui, *non febricitanti, ubi cibi faſtidium, cordis dolor, vertigo tenebricoſa & oris amaritudo, purgatione per ſuperiora opus eſſe*, ſignificat.

§. XV.

Aliam porro, a bilioſo humore, cardialgiæ ſpeciem PLATERUS commemorat, in iis hominibus obortam, qui nondum abſoluta concoctione, longius in una ſerie ſedere & ſcribere ſolent, dum veſicam multa bile turgidam comprimendo, ejus affluxum copioſiorem efficiunt; quo fit, ut dolor circa præcordia preſſorius, cum oris amaritie, inde ſuſcitetur: quam obſervationem, ii, qui paulo intemperantius litterarum ſtudiis incumbunt, & ſedendo vitam Academicam agunt, omnino attendere ac animadvertere debent.

§. XVI

§. XVI.

Præter hæc, nos aliquot exemplis, quæ in praxi D. D. PRÆSES notavit, edocti ſumus, ventriculi ſpaſmum dolorificum, a calculo grandiori in veſicula fellea contento, vel quod pejus eſt, in ductu biliario, ubi exitum molitur, hærente, diuturnum imo funeſtum dolorem ſubortum fuiſſe, ubi, ſi calculi per anum fuerint ejecti, omnis intolerabilis dolor conquievit. Quam cauſam conſtans & diuturnus punctorius, imo ardens verſus hypochondrium dextrum dolor, icterica facies, inappetentia, magna inquietudo, alvus compreſſa, viriumque defectio, ſatis luculenter manifeſtant.

§. XVII.

Longe vero atrocior & plenioris periculi ſpecies cardialgiæ eſt, quæ ab hauſto veneno urentis & cauſticæ indolis inducitur. Vulgatiſſimum atque innumeris funeſtis exemplis infamatum illud arſenicum, & ei ſimilia, non alia ratione perimunt, quam quod ſubtili & penetranti veneni acumine, altius, in intima fibrarum nervearum ventriculi, ſe inſinuant, easque diſcindendo ac arrodendo, ad immanes ſpaſticas ſtricturas adigunt atque exſtimulant: quæ poſtea univerſum nervoſarum partium genus in conſenſum trahendo, non modo ea ſymptomata, quæ cardialgiæ ſunt eſſentialia, ſed & inſuper ſæviora & funeſta, ut inflammationem ſphaceloſam, delirium, convulſiones, inducunt.

§. XVIII.

Emetica ex ſtibii regulina ſubſtantia petita, ſi

paulo

paulo fortiori doſi imprudenter offeruntur, non niſi cardialgica inducunt ſymptomata; quin aliis etiam intus concurrentibus cauſis, & ubi præcordia jam ſpaſmo adfecta ſunt, lethalem, non ſecus ac venena, quod multis, proh dolor! conſtat exemplis, operationem exſequuntur. Id quod etiam de acrioribus & validioribus purgantibus, quæ ſubtili, cauſtico, & veſicante principio agunt, quorum imprudenti uſu, multi pereunt, intelligendum eſſe exiſtimamus.

§. XIX.

Ipſum peſtilentiæ virus, truculentam ſuam vim primo omnium, in ventriculum ſpaſmis atque inflammationibus exerere, & graves cardialgicas paſſiones ſæpe ſyncopticas inducere, in propatulo eſt. Pete chiis, febribus purpuratis & malignis, ſi cardialgi ſuccedit, quod maxime in morbi vigore fit, lethal ſignum eſſe ſolet. Peſſimum quoque eſt, ſi cardialgia do loribus arthriticis, podagricis, quod evenit maxime, retrocedit materia ad interiora, ſi fœdis etiam cutis partium externarum exulcerationibus ſupervenit, i quod frequentius accidere ſolet. Nam materia ill activæ cauſticæ indolis, ſi a nexu & implexu humoru ſequeſtrata, & ad cutis extima propulſa, rel git ſua veſtigia, & nervoſis tenerioris & firmior texturæ ventriculi & inteſtinorum tunicis ſe alti inſinuat, non ſecus ac venenum agere ſolet, & diu us perſiſtens, cardialgicas anxietates inducend hominem exanimat atque non raro interficit.

§. X

§. XX.

Dyſenteriæ epidemicæ & malignæ, ſi, quando ea in- aute comprimitur, infauſto & periculoſo ſane omine ardialgia ſupervenit: dum cauſtica acris materia, ex in- eſtinorum inferioribus ad ſuperiora & ventriculum, re- rogrado motu & impetu delata, principes has partes raviter infeſtat; ſubinde lethalia acceſſere ſymptoma- confueſcit.

§. XXI.

Periculi quoque plena a vermibus innaſcitur cardi- lgia, quando videlicet, uti bene meminit TRALLIA- NUS, ex partibus inferioribus ſurſum ad ventriculum a- cendunt, eiusque orificiis firmiter inhæreſcunt. Me- norabile eſt quod proponit HERCVLES SAXONIÆ *in rælect. pract. P. II. cap.* 7. ſcribens: *ante tres annos ego ocatus ad puerum undecim annorum, vermibus refertum, i pilulas adhibui. Mane cum reverterem, erat mortuus. ravi ventriculum aperiri, inveni triginta tres vermes do- antodes vivos, ori ventriculi adeo tenaciter inhærentes, ut x avelli potuerint.* Similia exempla legi poſſunt apud ENRICVM *ab* HEER, & LANCISIVM *tr. de mort. ſubi- n.* nec non apud RIVERIUM *L.* 9. *cap.* 10. Repentinæ usmodi mortis cauſam non aliam fuiſſe, quam ſynco- n invincibilem, a validiori cordis ſeu potius vaſorum ſi vicinorum conſtrictione derivandam, veri eſt ſimilli- um. Ex quo intelligitur, quanta ſit ad vitam ſervan- m ſtomachi ceu nobilioris partis præſtantia, ut igitur ELMONTIVS non ſine cauſa fuerit adductus, animæ ntientis ibi ſedem collocare.

§. XXII.

Sunt vero adhuc aliæ, atrocis ſtomachalis ſpaſmi eæ- e abditæ cauſæ. Nam ubi dolor indeſinens eſt, & multos trahit menſes, ut carnem ac omnes demum es conſumat, labem ac vitium in partibus ſolidis ſub-

C eſſe

eſſe recte concluditur: quod etiam ſectionibus poſt mortem inſtitutis evictum habemus. Ita in tali chronica cardialgia, RIVERIVS, vid. *cent.* 1. *obſ.* 90. ſcirrhum, totum pancreas, pylori ac duodeni principium ambientem, invenit. JACOBVS HOLLERIVS, *de morbis internis p.* 153. de quodam narrat, qui febre, cardialgia, vomitu, torminibus ventris, dejectionibus pici ſimilibus diu vexatus tandem obierit. In cuius ſecto corpore inventum ulcu pustulatum in ambitu, quod tunicas omnes ventriculi qua parte in pylorum eſt, exedit.

§. XXIII.

Alia adhuc dirum hunc affectum generandi ratio a via, per metaſtaſin eſt. Ita binis D. D. PRÆSIDI compertum eſt exemplis, parotidum tumores in ſexu mulieb non adeo exiguos, externis quidem applicatis evanuiſſ ſed brevi poſt cardialgiam cum anguſtia ſpirandi inſecu tam fuiſſe. Obſervatum quoque ab Eodem eſt, & hem craniam, & cardialgiam inter ſe alternaſſe, ita ut cardia gia ſublata, hemicrania fuerit ſecuta, & poſtea, hac ip diſcuſſa, cardialgiam rediiſſe.

§. XXIV.

Ceterum dolor ventriculi cardialgicus ex iis eſt mo bis, qui, niſi diutius perſiſtat, non facile necant neque m gnum alat periculum, niſi aliis morbis præſertim ma gnis ſuperveniat, vel ab ipſis venenatis rebus, ut fun comeſtis, item a vermibus fuerit producta. Porro eti inter eos referendus eſt, qui certis & ordinatis tempor intervallis, quandoque etiam inordinatis redit, & vel b viori, vel longiori tempore affligit, ac alio tempore m or, alio vehementior eſt. Et uti ordinario fere cum gore in dorſo, horripilatione cutis, non raro etiam o tatione & pandiculatione eius acceſſio eſt, atque in vi re, extremæ, inferiores maxime partes inalgeſcunt, a

ut etiam calidum ſatis vehemens admotum vix percipiatur: ita hic dolor, non niſi calore redeunte partibus extremis, calidoque tandem ſudore oboriente per totum corpus, ſolvitur atque diſcutitur. Et uti ſub frigore contractus & exiguus eſt pulſus, ita maior & validior ſub declinatione fit; quod etiam evaneſcentis mali certiſſimum eſt ſignum.

§. XXV.

Enumeratis & perſpectis ſic varii generis, huic gravi dolori inferendo idoneis cauſis, ſequitur iam, ut de eius medicatione dextre adornanda ſolliciti ſimus. Quemadmodum vero ſagax & peritus Medicus, nec certa ad morbum tollenda remedia commendare, nec una eademque ſemper via ac methodo in curando procedere debet & poteſt; ſed opus habet, ut ad varii generis cauſas, ægrotantis naturam, & alias atque alias circumſtantias & ſymptomata reſpiciat: ita etiam in hoc gravi & periculoſo morbo ſanando, idem fieri debere omnino neceſſe eſt. Nihilominus tamen generales has medendi indicationes, pro ſcopo, per medicamenta ſuccurrendi, habere debet, quæ ſunt primo, ut materia vitioſa pernicialis cauſticæ indolis, circa ſtomachum hærens temperetur, corrigatur ac demulceatur: ſecundo, blande per diſcutientia vel commoda evacuantia removeatur: tertio, atroces dolores & ſpaſmi, qui vires mirum quantum deprimunt ſopiantur; & quarto, ut tonus & robur ventriculi & inteſtinorum a dolorum & ſpaſmorum violentia labefactatum, idoneis remediis reſtituatur & confirmetur.

§. XXVI.

Quia ſæpius acidi pontici humores accumulati ac congeſti in ſtomachi regione, bilem in duodeno per intimam mixtionem porraceam, æruginoſam & valde corroſivam reddunt, & arrodendo tunicas nerveas, ſunt doloris cardialgici cauſa, idque non raro in hypochondria-

cis, nec non a nimia vinorum acidorum ingurgitatione & fructuum horeorum fermentatione evenit, ſolis utique abſorbentibus, nec non acrimoniam demulcentibus, non adeo difficulter curam expediri poſſe experientiæ conforme eſt. Quo nomine pulveres qui lapides cancrorum cornu cervi philoſophice præparatum, conchas vel matrem perlarum, cryſtallum montanam vel melius glaciem Mariæ præparatum recipiunt, commendamus, præſertim ſi cum aqua carminativa leniter ſpirituoſa exhibentur. Pertinent huc quoque ad infringendam & mulcendam acrimoniam egregia oſſium ſive cornu cervi gelatinoſ decocta probe ſaturata, decoctum avenæ excorticatæ cum amygdalis dulcibus ſemine papaveris ſubactum & cum ſyrupo papaveris albi edulcoratum.

§. XXVII.

Ubi vero bilis valde acris ſulphurea & calida, ab i maxime commota, cauſam hujus mali ſubminiſtrat, co ſultum eſt ejusmodi jam laudatis pulveribus, aliquot gr na admiſcere nitri purificatri pro doſi, atque in decoc eos exhibere. Opus vero interdum eſt correctam bile leniter per alvum evacuare. Experientia etiam crebri didicimus, in hoc atroci adfectu, ſi a bile nimis calida bulliente & cauſtica obortus fuerit, ſolam aquam pur & frigidam, per vices, usque ad menſuram dimidiam ultra hauſtam, tecto bene corpore & impoſito ſtom chali regioni calido fomento, inſigniter profuiſſe, ac ſub cuto ſudore per univerſum corpus, dolorem fuiſſe ſu mo cum levamine diſcuſſum: eoque remedio acrimo am bilioſam non modo dilutam & temperatam, ſed & mium æſtum depreſſum, ac denique ipſum robur, qu ingenti calore & dolore dejectum erat, quodammodo ſtitutum fuiſſe. Vidimus quoque cardialgiam cum ch rica paſſione junctam; hoc unico remedio ſummo c levamine conquieviſſe.

§. XXV

§. XXVIII.

Sique cardialgiæ bilioſæ quod ſæpius fit, vomitio jungitur, liquarem anodynum ſic dictum mineralem HOFF-NANNI cum inſigni fructu in aqua frigida fontana, vel iqua ex floribus v. g. chamomillæ, millefolii, acaciæ, tiliæ, ambuci, liliorum convallium, primulæ veris, roſarum parata, adhibuimus. Sub hoc ſtatu magnopere cavendum ſt, ne Medicus calidas eſſentias ſtomachales vel carminaivas porrigat, vel nimium calida aut crebriora calidoum infuſorum uſu, ægrum maceret, quippe hæc omnia dolorem magis augent, quam minuunt.

§. XXIX.

Ubi vero intenſus, preſſorius, & gravativus, ſtomahalem regionem diutius infeſtat dolor, isque a cruditabus acido-viſcidis, firmiter ventriculi aut duodeni tunicis plicis inhærescentibus oritur, quod frequentiſſime in s, qui ex morbo iam convaluerunt, ac qui etiam ab iis cauſis infirmum habent ventriculum, evenit, tunc tique alia curandi opus eſt ratione. Nam ſub tali caſu, edicamenta digeſtiva, & quæ ſalino oleoſo & aromatico cidente ac roborante principio agunt, neceſſaria ſunt; uo nomine probatæ & expertæ virtutis ea quæ ſequuntur, roponere & laudare voluimus, ac primo pulverem qui habet. Rec. radicis ari, pimpinellæ, zingiberis, galane, flavedinis corticum aurantiorum, ſeminis cumini, acis, ſingulorum drachmam, ſacchari Canarienſis ad ondus omnium. M. f. Pulvis. Doſis eſt drachma & ultra: in ſequens ſe commendabit mixtura: rec. Eſſentiæ Zeariæ, carminativæ Wedelii, ſpiritus de tribus ana drachas duas, balſami noſtræ vitæ guttas XV. Interdum vero us eſt, ut ante horum uſum, colluvies vitioſorum huorum, ſi nimia eſt, blande per ſuperiora educatur præ-

ſertim ſi ad vomitum appareat diſpoſitio. Verum tun non facile ultra radicem ipecacuannæ aſcendere licet cum hæc non tam valide nervoſas tunicas commove atque aggrediatur, nec poſt operationem, magnam d ſpoſitionem ad vomitum relinquat, ſicut ea quæ ex ſt bio parantur conſueſcunt.

§. XXX.

Ab hauſto veneno cauſtico, item a nimis draſti purgante & vomitorio, ſi quis in hoc malum, quod v ſæpius præſens minatur periculum, conjectus fuerit, tu vix efficacius auxilium, ac in uſu lactis recentis, it in oleoſis, oleo amygdalorum dulcium, olivarum, ſu ciente quantitate hauſtis, addita ſimul doſi theriacæ teris expectandum erit. Præſtat vero in principio tum lac ſolum, ſive melius ejus cremorem ſine ther dare, ne vomitus & ſeceſſus, quo ſæpius optime ve num & corroſiva materia ſimul expellitur, nimis ſiſtatur.

§. XXXI.

Quando cardialgia ceu ſymptoma, aliis morbis me acutis ſive exanthematicis ſupervenit, quod rari ſine periculo, tum pulveres bezoardici, cum aliquo nis nitri, & quarta parte vel dimidio grani camphora vim blande diapnoicam & diſcutientem, non carer eximio. Sed conſulo ob auſpicatum & meliorem, qu PRÆSES ſæpius deprehendit ſucceſſum, ut cum emul quæ ex amygdalis dulcibus, ſeminibus IV. frigidis, & ne cardui Mariæ, cum aquis florum, concinnata eſt, res dicti propinentur. Sique materia a ſuperficie c ris retropulſa, veneni propemodum indolem ref

rſus ad extimam cutim releganda cenſetur, liquorem odynum mineralem D. D. PRÆSIDIS, cum quarta rte ſpritus Buſſii mixtum, & per vices pro re nata dam, adhibito ſimul conveniente & placido regimine dihoretico, ſæpe numero longe utiliſſimum invenimus.

§. XXXII.

Quando a menſibus ſubſiſtentibus, & repreſſo inde nguinis impetu ad præcordia, mali origo eſt, tunc ique venæſectio in pede celebranda, modo non fiat,in roxyſmo, ſed eo remittente, nec ſub extremorum frigo-, præſens & efficax auxilium præſtat. Poſtea reliqua ratio, cum blande anodynis & diſcutientibus externe hibitis, erit conficienda. Nos cum D.D. PRÆSIDE omni dolore cardialgico, ceu peculiaris virtutis remem, flores chamomillæ vulgaris & quæ ex iis parantur, rimum commendamus; cujus generis aqua florum amomillæ, oleum deſtillatum delicatiſſimum verum, n eum oleo therebintinæ adulteratum, in eleoſaccham redactum, item Eſſentia bene ſaturata cum Spiu florum chamomillæ non adeo ſpirituoſo, & eleocharo ejusdem olei adornata, ad motus ſpaſticos ſapidos, longe efficaciſſima. Spectat huc quoque extram, quod eum aliis convenientibus, intra pillulas recipoteſt. Vulgatiſſimum, ſed revera valde probatum ineſticum eſt decoctum chamomillæ florum, cum cerea vel avena excorticata, vulgo Haber⸗Grütz, addito eſertim oleo amygdalarum dulcium & calide pervices uſtum.

§. XXXIII.

Deinde in omni dolore cardialgico, clyſteres ano in-

infundere demulcentes & emollientes, nunquam non proficuum. Quales ex floribus chamomillæ, ex oleo horum coćto & deſtillato, item ſeininibus IV. carminativis parati, ſi ex laćte coquantur, ſunt omnium optimi. Sed opus eſt, ut bis vel ter quandoque injiciantur, nam blando ſuo tepore demulcente, nec non rigidas fibras laxante ac emolliente facultate, uti in omnibus fere gravioribus doloribus, ita etiam in hoc, inſigne levamen afferunt.

§. XXXIV.

In præcordiali & gravi dolore quoque, nunquam non exterius epigaſtricæ regioni applicata idonea remedia magnæ obſervantur utilitatis; & inter plura alia ſummam & mirabilem efficaciam eorum, quæ ſequuntur D. D. PRÆSES ſæpius expertus eſt. Inter quæ primum eſt linimentum, ita componendum; recipe theriacæ, olei nuciſtæ expreſſi utriusque unciam, caſtorei, croci balſami Peruviani ana drachmam, olei de cedro, caryophyllorum ana guttas XX, camphoræ drachmam dimidiam. Alterum eſt ſequens epithema. Rec. Herbæ menthæ, florum chamomillæ vulgaris, Romanæ, ſambuci, ſingulorum Manipulum, baccarum lavri, juniperi utriusque unciam dimidiam, ſeminis cymini, carvi, caryophillorum nucis moſchatæ, ana drachmas II. C. C. D. S. Species in Rhein-Wein zu kochen. Prodeſt quoque balſamus vitæ D. D. PRÆSIDIS, ſi cum duabus partibus lauti liquoris anodyni & duodecima camphoræ parte mixtus, abdomini applicetur.

§. XXXV.

Si vermes cauſam ſubminiſtrant, tunc utique l...

lia curationis eſt ingredienda via. Minime vero, ſi hoſpitium eorum eſt in ventriculo, fortiora anthelmintica, præſertim quæ acri, valida arrodente facultate, operationem ſuam exſequuntur, ut mercurialia, vitriolum Veneris, vel Martis, purgantia aloëtica vel etiam ſalia alias non inutilia porrigenda; eo, quod hæc malum ſæpius exaſperent: ſed potius lac tepidum, cum oleo amygdalarum dulcium ſufficienti quantitate offerendum. Quæ demulcendo, & eſcam pariter animalculis his, ne arrodant tunicas, præbendo aptiſſima ſunt; maxime omnium vero, eam quoque ob rationem, quia, ſi tepide lac in magna copia hauriatur, ventriculi inverſione facta, ingrati iſti hoſpites per ſuperiora ejiciuntur.

§. XXXVI.

Hypochondriaco - ſpaſmodicæ paſſioni obnoxii, crebro recurrentibus hiſce anxiis doloribus, per longum tempus premuntur. Quo in caſu, omnibus aliis inaniter adhibitis, aquas thermales, præſertim Carolinas aliquoties uſurpatas D. D. PRÆSES utiliſſimas obſervavit. Ad harum uſus interdum reiterari debet. Hæmorrhoidalem fluxum inde ſecutum, maximo cum levamine, *Idem* non ſemel eſt expertus. Ceterum Elixir balſamicum D.D. PRÆSIDIS, cum eſſentia caſtorei remixtum, item pulveres temperati leniter nitroſi, antiſpaſmodici, Venæſectiones æquinoctiales, in chronicis iſtiusmodi doloribus, magno ſunt præſidio.

§. XXX.

Ad recurſum pernitioſi hujus mali impediendum, plura occurrunt notatu digna. Primo, non facile, qui ad hoc malum ſunt diſpoſiti, purgantia præſertim acria admittere debent: quia hæc natura ſua, ſtomacho ejusque partibus infenſa, ingentem, ſi crebrius uſurpantur, infirmitatem relinquunt. Qua nihil ad recidivas

D con-

contrahendas peius eſt, præter hæc, motum humorum, ad primam regionem ex aliis partibus, alliciunt. Viden dum tamen nihilominus, ut alvus ſemper maneat liber atque aperta, quod multo tutius fit, quando per alimen ta id præſtare allaboramus. Deinde contra frigus quar maxime & præcordialis & dorſalis regio, ubi ventricu lus cum orificiis ſitum ſuum occupat, ſufficientium inte gumentorum ope, munienda erit. Quam nocivum eni partibus nervoſis, & morbis qui in eo conſiſtunt, frig ſit, dici vix poteſt. Vix autem eo perduci homin poſſunt, ut veritati huic fidem faciant, eamque intell gant. Denique, victum quod concernit, ab omnib exceſſiva qualitate & intemperie præditis, nimis ſaliti fumo induratis, pipere, allio, aceto, raphano ruſtica conditis, & huic generi ſimilibus abſtinere oportet. V ciſſim maiorem in modum commendamus iura galli, ac c nis vitulinæ; & ut ſibi a pingui carne temperent, inp mis quando potio frigida ſuperingeritur, vel externo frigore ſtomachalis regio tan- gitur, ſuademus.

NC

NOBILISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. P. D.
PRÆSES.

E*Quidem innumeris, mortalitatis noſtræ lege, obſtringimur malis, & vel mille conterimur affectibus. Nihil vero ex iis gravius, nihil magis videtur formidabile, quam atrocibus diu torqueri doloribus: orum ea indoles eſt ac potentia, ut non modo corpus, ceu imæ ſpiritualis domicilium, graviter concutiant, ſed ſum quoque animum turbent, atque e ſede ſua dimoveant. uare ab antiquiſſimo inde tempore, extiterunt Philoſophi, i ſummum bonum in voluptate animi & corporis ponens, allaborarunt, ut ſaluberrimis præceptis, ad dolores perrendos, animum componerent. At vero, quod parum vel tius nihil, hac in re profecerint, vel ex eo eluceſcit, quod ures, præ dolorum vehementia, perditiſſime fatalem dim occupaverint, & ita ipſi Philoſophiam ſuam peſſime conminaverint. Si vero dolorum abſentia, quicquam ad ani i quietem & tranquillitatem, ſi etiam quicquam ad ſtas noſtri integritatem conferre valet, uti omnino plurimum teſt; tunc certe ejuſmodi beneficia non a philoſophica di-*

ſciplina, ſed a perito Medico petenda ſunt, qui ab immanibus doloribus pro eorum diverſitate, cauſarum quoque & partium quas infeſtant, idoneis remediis, mentem & corpus vindicare poteſt. Crudeliſſimus vero omnium eſt, qui nervoſis ſtomachi orificiis paulo per vieacius inſidet, & vulgo Hertzens-Angſt, Magen-Krampff *dicitur. De cujus natura, generatione, & cauſis* Tua, Nobiliſſime DOMINE CANDIDATE! *tradit præclara, præſens diſputatio; in qua expertiſſima, ad abigendum hunc vitæ infenſisſimum morbum, propoſuiſti remedia. Ceterum* Tibi, *ex animo gratulor, de ſtudiorum curſu ad auſpicatum finem perducto,* Teque *præ aliis felicem prædico, quod antequam* Te *ad Medicinæ ſacra applicaveris, genuinæ Philoſophiæ, præſertim Phyſices principia prius imbiberis: id quod maxime in Auditoribus meis nunquam non deſidero. Laudo quoque* Tuam *diligentiam, tam aſſiduam, ut per IV. annos, vix horam prælectionum noſtrarum* Phyſicarum, Chymicarum, Clinicarum *prætermiſeris. Ex quo etiam factum eſt, ut non ſine ſingulari noſtro applauſu, poſt examina exantlata, dignus* Summis Honoribus *iudicatus fueris. Nihil reliquum eſt, quam ut* Tuam *diligentiam & virtutem* PATRONIS *liberaliter commendem, DEVM præcans, ut Sua gratia,* Tuis *ſtudiis & laboribus Practicis adeſſe velit, quo Patriæ, miſeris ægrotantibus,* Tuisque, *fructus afferre poſſit inſigniſſimos. Vale Dabam Halæ Salicæ*

d. XII. *April.* CIↃ IↃCCXXI.